

iratos fuisse. De mea autem in te voluntate sic velim iudices, me quibuscunque rebus opus esse intelligam, quamquam videam qui sim hoc tempore, et quid possim; opera tamen, et consilio, studio quidem certe, rei, famae, saluti tuae praesto futurum. Tu velim et quid agas, et quid acturum te putes, facias me quam diligentissime certiore. Vale.

XIV. M. T. C. LUCIO MESSINIO S. D.

•Messinio Rufo, sui videndi cupido, mutua se teneri cupiditate significat: eumque hortatur, ut temporum acerbitatem litterarum studiis et optimae conscientiae recordatione mitiget. •

Gratae mihi tuae literae fuerunt: ex quibus intellexi, quod etiam sine litteris arbitrabar, te summa cupiditate adfectum esse videndi mei. Quod ego ita libenter accipio, ut tamen tibi non concedam: nam tecum esse ita mihi commoda omnia, quae opto contingant, ut vehementer velim. Tu enim mecum cum esses, major erat et virorum et civium honorum, et jucundorum hominum, et amantium mei copia: tamen erat nemo, quocum essem libentius, quam tecum, et pauci, quibuscum essem aequae libenter. Hoc vero tempore, cum alii interierint, alii absint, alii mutati voluntate sint, unum medius fidius tecum diem libentius potuerim, quam hoc omne tempus cum plerisque eorum, quibuscum vivo necessario. Noli enim existimare, mihi non solitudinem jucundiorē esse, qua tamen ipsa uti non licet; quam sermones eorum, qui frequentant domum meam, excepto uno, aut summum, altero. Itaque utor eodem perfugio, quo tibi utendum censeo, litterulis nostris, praeterea etiam conscientia consiliorum meorum. Ego enim is sum, quemadmodum tu facillime potes existimare, qui nihil unquam mea potius, quam meorum civium causa, fecerim; cui nisi invidisset is, quem tu nunquam amasti (me enim amabas), et ipse beatus esset, et omnes boni.